

uti potuit, heluo ubi Ecclesiasticæ Antiquitatis videri vo-
luit, tametsi ne primis quidem labris eam degustasset.
Neque enim nullus (μ) (en πληροφορίαν hominis in doctrinâ
maximâ momenti!) *SS. Patrum scripsit, quod per conse-*
quentiam vel quovis modo tacitè aut implicite continetur in
Scripturâ, esse Verbum DEI scriptum, quod Scriptura,
quidem quoad sensum implicite complectitur, sed ut sensum
bunc ac notitiam sensus certam habeamus, traditio est ne-
cessaria ac Apostolica, à qua Ecclesia accepit Scripturam. O su-
pinam Thraſonis ignorantiam, quâ nemo laborat, nisi
hospes in Antiquitate. *Etiamsi eam, inquit Dionysius Alex-*
andrinus, (v) dictionem non invenerim in Scripturis, tamen
ex Scripturis sententiam colligens (τὸν ὄντων συναγωγῶν) co-
gnovi, quod qui Filius est & Verbum, non alienus est ab Es-
sentia Patris. Et si verbum ipsum, inquit Augustinus, (ξ) in
lege scriptum non invenitur, res tamen ipsa invenitur. Quid
mirum? nam & CHRISTUS mortuorum resurrectionem
adstruxit ex eo, quod DEUS sit DEUS Abrahæ, *Matth.*
XXII, 32. Quod exemplum hujus Doctoris sui secuti sunt
Apostoli, *Actor. IX, 22. X, 43. &c.* Credo, alienis eum ocu-
lis uti, quando Patrum scripta se perlustrasse simulat, &
Compileribus, *Jodoco Coccio* (\omicron) & *Jacobo Gaulterio* (π)
eorumque similibus credere nimis, in quorum fidem in-
quirere prius debuisset. Parcere verò sibi tantumq; ab hu-
meris suis onus remove voluit, quippe quod ferendo ei
ac sustinendo haud essent. Callidè omninò, sed non can-
dide; Qua usus etiam astutia est, quando non super
Scri-

(μ) *Cap. 5. pag. 72.*

(v) *Apud Athanas. in Libello de ejus sententia.*

(ξ) *In Epist. 178.*

(\omicron) *In Thesauro Cathol.*

(π) *In Tabulis Chronograph.*